

**Antická metrika (cvičný zápočtový test)**

Jméno a příjmení:  
Obor studia:

Datum:

Provedte metrický rozbor následujících ukázek.

Identifikujte metra ukázek a popište je.

I. Contigeris nostros, Caesar, si forte libellos,  
terrarum dominum pone supercilium.  
Consuevere iocos vestri quoque ferre triumphi,  
materiam dictis nec pudet esse ducem.  
Qua Thymelen spectas derisoremque Latinum,  
illa fronte precor carmina nostra legas.  
Innocuos censura potest permittere lusus:  
lasciva est nobis pagina, vita proba.

II. Vivamus, mea Lesbia, atque amemus,  
rumoresque senum severiorum  
omnes unius aestimemus assis!  
soles occidere et redire possunt:  
nobis cum semel occidit brevis lux,  
nox est perpetua una dormienda.  
da mi basia mille, deinde centum,  
dein mille altera, dein secunda centum,  
deinde usque altera mille, deinde centum.  
dein, cum milia multa fecerimus,  
conturbabimus illa, ne sciamus,  
aut ne quis malus invidere possit,  
cum tantum sciat esse basiorum.

III. Ille mi par esse deo videtur,  
ille, si fas est, superare divos,  
qui sedens adversus identidem te  
spectat et audit  
dulce ridentem, misero quod omnis  
eripit sensus mihi: nam simul te,  
Lesbia, aspexi, nihil est super mi  
<vocis in ore;>  
lingua sed torpet, tenuis sub artus  
flamma demanat, sonitu suopte  
tintinant aures gemina, teguntur  
lumina nocte.  
otium, Catulle, tibi molestum est:  
otio exsultas nimiumque gestis:  
otium et reges prius et beatas  
perdidit urbes.

IV. Multis ille bonis flebilis occidit,  
nulli flebilius quam tibi, Vergili.  
Tu frustra pius, heu, non ita creditum  
poscis Quintilium deos.

Quid si Threicio blandius Orpheo  
auditam moderere arboribus fidem?  
Num vanae redeat sanguis imagini,  
quam virga semel horrida,  
  
non lenis precibus fata recludere,  
nigro compulerit Mercurius gregi?  
durum: sed levius fit patientia  
quicquid corrigere est nefas.

V. Iam Daedaleo nocior Icaro

visam gementis litora Bosphori

Syrtisque Gaetulas canorus

ales Hyperboreosque campos.

Me Colchus et qui dissimulat metum

Marsae cohortis Dacus et ultimi

noscent Geloni, me peritus

discet Hiber Rhodanique potor.

Absint inani funere neniae

luctusque turpes et querimoniae;

conpesce clamorem ac sepulcri

mitte supervacuos honores.

VI. Miser Catulle, desinas ineptire,

et quod vides perisse perditum ducas.

fulsere quondam candidi tibi soles,

cum ventitabas quo puella ducebat

amata nobis quantum amabitur nulla.

ibi illa multa cum iocosa fiebant,

quae tu volebas nec puella nolebat,

fulsere vere candidi tibi soles.

nunc iam illa non vult: tu quoque impotens noli,

nec quae fugit sectare, nec miser vive,

sed obstinata mente perfer, obdura.

vale puella, iam Catullus obdurat,

nec te requiret nec rogabit invitam.

at tu dolebis, cum rogareris nulla.

scelestia, vae te, quae tibi manet vita?

quis nunc te adibit? cui videberis bella?

quem nunc amabis? cuius esse diceris?

quem basiabis? cui labella mordebis?

at tu, Catulle, destinatus obdura.